Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



nubilus: donec aspirет dies et inclinent umbre. Vadam ad montem myrre
et ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea: et macula non est in te.
Veni de libano sponsa mea: veni de libano veni. coronaberis de capite
amana de uertice sanir et hermon: de cubilib leonum de montib pardo-
rum. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: uulnerasti cor meum in uno
oculo tuo: et in uno crine colli tui. Quam pulchre sunt mamme tue
soror mea sponsa. Pulchriora sunt ubera tua uino: et odor unguentorum tuo-
rum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa mel et lac sub
lingua tua: et odor uestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus
soror mea sponsa: hortus conclusus fons signatus. Emissiones tue para
disus malorum punicorum cum pomorum fructib: cypri cum nardo nardus
cum croco fistule et cynamomum cum uniuersis lignis libani: myrra
et aloe cum omnib primis unguentis: fons hortorum puteus aquarum ui
uentium: que fluunt impetu de libano. Surge aquilo et ueni auster
perfla hortum meum et fluent aromata illi. Veniat dilectus meus in hortum
suum: et comedat fructus pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea
sponsa: messui murram meam cum aromatib meis. Comedi fauum meum
cum melle meo: bibi uinum meum cum lacte meo. Comedite amici et bibi
te: et inebriamini carissimi. Ego dormio: et cor meum uigilat. Vox dilec
ti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea sponsa amica mea columba mea
immaculata mea: quia caput meum plenum est rore et cincinni mei gut
tis noctium. Exspoliauit me tunica mea: quomodo induar illa. Lauit pedes
meos: quomodo inquinabo illos. Dilectus meus misit manum suam per foramen:
et uenter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi: ut aperiam dilecto meo.
Manus mee distillauerunt murram primam: digiti mei pleni murra pretissi
ma. Pessulum hostium mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat atque tran
sierat. Anima mea liquefacta est: ut dilectus locutus est. Quesiui: et non
inueni illum. Vocauit: et non respondit mihi. Inuenerunt me custodes: qui